



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



QVID
DE NONNULLIS
LYCVRGI INSTITVTIS
SIT
SENTIENDVM
DISQVIRIT

ET
AD ACTVM
ORATORIVM
IN
GYMNASIO REGIO
REFORM.

AD D. XIX. OCT. MDCCLI. HORA X.

INSTITVENDVM

OBSERVANTISSIME INVITAT

IOANNES SIMEON LINDINGER

GYMN. RECT.




HALAE MAGDEB.

LITTERIS IOAN. IAC. CVRT. ACAD. TYPOGR.

4716.9. 11





§. I.



In mores gentium, quotquot nobis innotuere, inquirantibus mirum omnino videtur, qui eueniat, ut omnes vsae fuerint, hodieque vrantur institutis diuersissimis? Dubitas forsan de hac discrepantia, confer cum Ægyptiis Romanos, Persas cum Germaniæ incolis antiquissimis, confer Lacedæmonios cum reliquis Græciæ ciuibus, tandem vniuersam Græciam, omnesque alias gentes, cum Israëlitis. Quibus hi probabantur mores, iidem illis notam inurebant turpitudinis. Interim non negarim, diuersitatem hanc nonnunquamfuisse exiguam. Ægyptii & Græci multa, quod mireris, habuerunt communia cum Israëlitis, quorum hos pariter iuuentutem laboribus adsueuisse, corporisque vires plurimi fecisse, constat. Adde musicam, studium emitendi sagittas, cursum, quem ita amarunt, ut vel currentes ab aliis e longinquo dignoscere studuerint, & re vera distinxerint. Veritatis studium, & virtutum amorem excitare annisi sunt fabulis, allegoriis, ænigmatibus, hymnis. Rationum conuenientiæ huius, vel discrepantiæ, inuestigationi iam non inhærebimus.

§. II.

De celebratissimi Lycurgi institutis quid sit censendum, potius examinare est animus. Operæ pretium erit, eius Gymnasium ingredi, cum tota fere antiquitas hunc legislatorem est venerata, quin immo famosus ille, ac ignominia notatus, ALBERT RADICATI COMES de PASSERAN, Christum cum Lycurgo comparat in scripto, quod in contumeliam seruatoris nostri edidit, absurdissimo. Multa, ut nostra fert opinio, laudem eius, qui spartanam remp. condidit, & temperauit, imminuunt, & multa ad eius gloriam faciunt amplificandam. Hortum quis vnquam ita coluit, vt lolii nihil succreuerit? quis vnquam formosum, ab omni nãvo liberum, corpus vidit? Idem accommodes ad Laconum instituta, de quibus hodie laceras tantum ingentis naufragii tabulas habemus. Plurima laudem quidem mereri concedimus, sed multa quoque inter impia, stolidi, iniusta, referenda esse videntur. Quilibet lubens mihi erit assensor, leges Lycurgi fuisse asperas, atque eo tantum spectasse, vt suos ad militiæ studium condoceretur, cum tamen præcepta amore temperata plus efficiant, quam tabulæ aculeis plenissimæ. Hasce partim ex Creta petiit, in qua iussa Minois didicit, & Thaletem audiuit poëtam lyricum, partim ex Ægypto & Ionia, vbi e poëmatibus Homeri, in Græciam asportatis, multa ad ciuilem prudentiam spectantia hausit, atque in vsum suum transtulit. Cicero ac Strabone auctoribus cum viuo Homero in insula Chio est versatus. Plurimum vero ad leges hasce contulit oraculum Delphicum, quo haud mediocriter ad ciuilia negotia ornanda fuit adiutus, quodue in gloriæ suæ partes traxit, & pecunia corrupit, vt probaret, confirmaret leges, sicque Lacedæmoniis commendaret.

§. III.

Lycurgus non ignorabat, senatus consulta, & plebiscita, minime felices reddere ciues, hinc seuera disciplina iuuentutem instituit, ne male educata præcepta sua contemnere, eorumque autoritatem eludere audeat. Frustra omnino ei, qui obedire non didicit, imperatur. Infita malignitas est procliuis ad repagula legum perrumpenda. Itaque imminentem luem antidoto studuit auerruncare ad exemplar medicorum peritissimorum. Qua in re omnes, qui iudicio pollent, sapientiam eius suspiciunt. Sed partum examinare, infantem male natum, iustoque minorem, in locum mittere voraginosum, vt moreretur, facinus sane fuit
imma-

immanissimæ crudelitatis exemplum. Liberos exponere, omnium fere fuit gentium; Lycurgus autem, in hac consuetudine rigidior, omnes natos debiles, morbosos, deformes, flaccos, quorum corpora ad labores inepta, exilia, aut mutila, videbantur, in abyssum deferri iussit. Pugnare hæc lex profana, improba, nefanda, cum recta ratione, & amore naturali. Vix bruta foetum suum dilaniant, occidunt. Interim consuetudo hæc, atrocitatis testis, ac iniustitiæ, Spartanis fuit grata. Fortean politices aliquod caput urget, eos, qui maleficam naturam in corpore fingendo nacti erant, e medio tollere? fortassis remp. infirmis, inutilibus, ad bella ineptis noluit onerare? Verum hoc modo etiam in adolescentia mutilos factos eadem poena afficias, & risu dignum est, putare, virtutem esse tantum in viris quadratis. Sæpius ægri infantes fiunt fortes, & alacres viri, e contrario corpora firma, vegeta, facile vires amittunt. Perpaucos membris compactis natura procreat. Tempus, labores, debilem reddunt robustiorem. Non fungorum instar homines nascuntur. Ita sane reip. nocuit plurimum, multisque fortibus viris eam priuavit, dum fortitudinem in validis corporibus residere, hominesque minima statura nullas res magnas gerere posse, statuit. Nonne aliter, ac robore corporis, patriæ seruire possumus? nonne vtilia reip. præstare potest vir limati ingenii, & acris iudicii? Sapientia, prudentia, magnitudo animi, ac quicquid animus excelsus progignit, nihili æstimentur? Denique quæritur, num partus exploratio, & cædes, vlli mortalium sit licita? quod negamus, & pernegamus.

§. IV.

Quem vita dignum iudicabant tribulium natu maximi, eum amplexibus parentum auulsum publice ali, institui, uoluit celebris ille legislator, ut nimirum animi ab initio, perenni præfectorum, ac bene educatorum societate, conglutinarentur. Publicam hanc institutionem, ob multas rationes, priuatæ præferunt quidam rerum periti. Nos huic mori nequiquam repugnamus, at non omnes velimus ita educentur; extergit enim hæc institutio caritatem in tenellos naturalem, iurique domestico infert iniuriam. Parentes quidem sunt plerumque imprudentes, aut nesciunt, qua ratione liberos educare oporteat, aut sumtibus destituntur, aut iis obstat nimius amor, aut iuuentam prauo exemplo ipsimet inficiunt, attamen non omnes ideo esse taxandos, testatur experientia. Illorum, qui graue educationis negotium negligunt, cara pignora

publice instituas, ne iis obtingat, quod simiis, quæ dum foetum nimium exosculantur, necant comprimendo. In celebritate viuant pueri, vt inde a teneris vnguiculis multa audiant probari, corrigi, vt obiurgentur, vel laudentur, non reformident homines, vt æmulatio excitetur, cuius vi turpe ducunt pari postponi, pulcrum vero, maiores superasse.

§. V.

Circa id quoque grauiter peccauit Lycurgus, quod ingenia omnium ad unum, puta, rerum bellicarum studium, nata sibi persuaferit, cum tamen minime omnes ad id idonei esse potuerint; & si ei hoc largiamur, tunc resp. vtique aliis caruit studiis maxime necessariis. Ad ea quisque ducendus, quæ amat, ne inuitus cogatur, quatenus inclinatur ad honesta, & vtilia. Nihil enim inuita Minerua efficies. Quibus ingenia felicia, possent iis potissimum artibus dare operam, quibus plurimum vtilitatis, & iucunditatis, inesset. Ineptos ad militiam, si nollent, ad aliud opus, diligenter faciendum, cogendos esse, autumamus. Spartani vero nullam, neque liberalium studiorum, neque artium, habuere curam, quæ nisi veritæ, tamen impeditæ fuerunt, quidquod plerique nec litteras discere, nec numerare poterant. Hinc Cicero genti huic vitio vertit, quod vsque ad suum tempus nemo fuerit orator Lacedæmonius. Inualuit igitur ignorantia, dum artes, quæ inter pacis ornamenta vigent, ad vtilitatem inuentas, sustulit rogæ hostis, qui decus in armis summum posuit, neque aliam fere ingenii culturam iuuenturi permisit, nisi obsequium, quo fortitudo incenderetur. Ciuibus interdiceret litteris, doctrinas nihili æstimare, scientias, quæ reip. sunt insigni vsui, contemnere, nunquam fuit sapientis. Litterarum cultura ad reip. firmamentum perinet, ac qui eas negligendas, scholasque e rep. auferendas, cum Hobbesio, & Corn. Agrippa, statuunt, insipere videntur egregie, solemque e mundo tollere. Leges Lacedæmoniorum modo ad corporis vigorem conseruandum, augendum, tendebant, neglectis animæ viribus; cum tamen omnes artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet, ad decus, & vtilitatem, conferant multum. Duri persæpe Lacones, inhumani, crudeles, amorem omnium sociorum a se auerterunt; nec mirum, nam artes, quas addiscere iis erat inhonestum, fideliter didicisse, mores emollit, nec feros finit esse. Vtilia sunt colenda, non quæ speciosa, subtilia, inania. In recta institutione laret salus reip.; quod quidam

quidam Celtarum rex Sarron agnouit, qui subiectos, vt ferociam eorum contineret, publice erudiri curauit. Non ignorabat rex iste, gentem arcendo a litteris, studiaque tollendo, malum in rep. inferri longe grauissimum. Interim Spartani tibia canere non repudiabant. Opificia autem, quæ iis vilia erant, ac sordida, serui & barbari exercuere, e. g. agriculturam, & omnia rustica opera. Arma vero a sociis compararunt. Ciues, a sordidis artibus tractandis alieni, pacis tempore, otio, a quo tamen auertendi sunt, indulgere, vt colloquiis de rep. vacare possent. Inertiam, atque torpedinem, multum detrimenti hominibus, exercitationem vero, multum boni parere, nemo negabit; etenim vita humana ferri naturam induit, quod si exercueris, vsu, non sine splendore, conteritur, sin minus, rubigine exeditur. Labores non sinunt animos ad cupiditates, quæ progressu ætatis crescunt, avocari. Qui utilitatem publicam spectat, in primis e re ciuium esse iudicabit, sanctiones contra otia, quæ vrbi sunt dedecori, & damno, constituere. Lex Amasis, Ægypti regis, digna est, quæ in vsu renocetur, vi cuius vnusquisque ciuium quotannis coram magistratu, qua ratione vitam egerit, debuit docere. Conuictus otio diffluxisse, valde plectebatur. Otio plebs lasciuuit, quo reip. nil potest accidere pestilentius. Laboribus ciues subdas, vt semper occupati voluptates supprimant vehementissimas. Adolescentes quidem Lacedæmoniorum variis sese fregerunt laboribus, in paterna iugiter successere artificia, ita vt tibiae tibicen ad exemplar Ægyptiorum nasceretur, sed viris otium parabatur.

§. VI.

Ne plane ingenii adolescentum deesset legislator ille, modo prorsus inaudito iis voluit succurrere, nam furari, bonis alienis caute callideque, manus afferre, permisit. Fur in nullam incurrebat reprehensionem, si vigilans, tamque astutus, fuisset, vt occultare furtum nouerit. In furto autem comprehensum, eiusque compertum cadebant propter inertiam, non ideo, quod furatus, sed quod esset deprehensus; vti & in aliis rebus non recte peragentem punimus, sic illi inepte furantes cruciauerunt. Scopus, & ratio absurdissimi huius instituti, fuit, quo inuenus redderetur astutior, aptior ad militiam, quo ad diripiendum, ad insidiarum astus, vigilandi tolerantiam, assuesceret; nam furto aliquid ablaturus, noctu vigilare, interdum insidias tendere, nulla pericula, neque molestias, horrere debet. Porro ideo quaedam
clam

clam eripere licuit, ut quis res suas diligenter custodire disceret, utque alimentum sibi iuvenes sua industria, ad famem leuandam, molirentur. Sed hanc solertiam, licet acuat animos, laqueo, vinculis, exilio, dignam iudicamus. Calliditati huic, si quis eius indolem rimetur, nihil sapientiæ inesse, animaduertet. Quis vnquam credidisset, Lycurgum furta clandestina, & rapinas, probasse, nisi testimonia haberemus virorum fide dignissimorum? quis quæso mortalium, cui sensus recti inest, licitum declarare potest institutum, quo moralitas actionum tollitur, & morum sanctitati consulitur pessime? Illa resp. omnino male est constituta, in qua flagitia aluntur, & vbi labore acquisita tueri nequimus. Furtum hoc nullam admittit excusationem. Et quis istud, ex quo aliquid commodi possit nasci, vnquam rectum putauit, aut in meliorem partem est interpretatus?

§. VII.

Nulli ciuium, in alienas terras proficisci, erat licitum, ne inde vitiorum afferrent documenta, ne insuescant esse alienis legibus amici. Neque temere Spartam adibant peregrini. Quibusdam tamen diebus urbem intrarunt, sed, quam diu libuit, ibi moram non traxere. Magistratum quidam curam agebant, ne aduenæ forent doctores alicuius noxæ, quæ mores & disciplinam labefactare posset, neque scirent, quibus curæ esset, obseruare Spartæ peccata. Ad illa respondemus: abusum non tollere vsum. Laus sane erit, si quis amet hospites. Recte similem legem de peregrinis pellendis, Cicero vocat, minus humanam. Recte Lacedæmoniorum inhumanitatem perstringit Aristophanes, qui eos vocat deceptores peregrinorum. Emolumenta e peregrinationibus nata, vti & damna, ex iis orta, fugiunt neminem. Humanitatis & hospitalitatis amantes reddimur itineribus. Alia commoda iam præterimus, quibus Lacones quoque, ceteris ideo prorsus inuisi gentibus, carere.

§. VIII.

Victum eorum parcum, & rigidum, laude sua non priuamus. Præbibere, quod fit in conuiujs, aut benevolentiam eo inter se conciliare, ibi non erat moris. Bibebant tantum ad sitim restringendam. Itaque verbum pergræcari, aut in Græcorum opprobrium est fictum, aut in magnam Græciam, & asiaticam, tantum cadit, certe in Lacedæmonios
mini-